

est similior celesti quam activa: quia in celesti vita, ut dicit Augustinus ult. Lib. de Civ. Dei cap. xxx. circa fin. vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus, & laudabimus: quod ad vitam contemplativam pertinet. Ergo vita contemplativa est nobilior quam activa.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod etiam vita contemplativa sit majoris meriti quam activa. Gregorius enim dicit in Moralibus super Ezech. homil. III. *Contemplativa major est merito quam activa: quia activa in usu presentis operis laborat; contemplativa vero in sapore intimo venturam jam requiem degustat.*

2. Præterea. Supra dictum est distinct. xxx. quæst. unic. art. 4. quod magis consistit meritum in dilectione Dei quam proximi. Sed in contemplativa vita homo magis insistit dilectioni Dei, in activa autem magis dilectioni proximi. Ergo contemplativa est majoris meriti quam activa.

3. Præterea. Quanto magis aliquid beneficiatur à Deo, tanto est majoris meriti. Sed secundum Philosophum in X. Ethic. cap. ix. vel xiiii. Deus maxime beneficiat eos qui contemplationi student, quasi sibi simillimos. Ergo videtur quod vita contemplativa plus habeat de merito quam activa.

Sed contra. Totum meritum hominis consistit in acceptatione divina. Sed Gregor. dicit super Ezech. hom. xii. *Nullum sacrificium est Deo magis acceptum quam (1) regimen animarum.* Ergo cum hoc pertineat ad laborem activæ, videtur quod in activa sit majus meritum.

Præterea. Meritum contra præmium dividitur. Sed contemplativa vita plus habet de ratione præmii quam activa: quia pascitur à Domino contemplativa, sed activa pascit, ut dicit Gregorius (2) homil. xiv. in Ezech. Ergo activa plus habet de merito.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod contemplativa vita non sit diuturnior quam activa. Vita enim activa fuit in Christo perfecta. Sed ipse fuit perfectus comprehensor. Ergo vita activa manebit in patria; & ita non est minus diuturna quam contemplativa.

2. Præterea. Homines erunt in patria æquales Angelis. Sed in Angelis est utraque vita: quia quidam sunt assistentes, quod ad contemplationem pertinet; quidam ministrantes, quod pertinet ad actionem. Ergo utraque vita etiam in hominibus in patria erit; & sic idem quod prius.

3. Præterea. In patria manebunt virtutes cardinales, & habebunt aliquos actus, similiter etiam & dona omnia. Sed virtutes cardinales perficiuntur in activa vita, & similiter quædam dona. Ergo in patria manebit vita activa; & sic idem quod prius.

Sed contra. Luc. x. 43. *Maria optimam partem elegit:* Glossa: (b). Contemplativa hic incipit, & in celesti patria perficitur; activa autem cum corpore deficit.

Præterea. Philosophus in X. Ethic. ubi sup. dicit, quod contemplativa vita diuturnior est quam activa.

(1) Gregorii textus, zelus. (2) Al. sed. (3) Al. ad præmium.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Non occurrit in Gregorio loco citat. sed implicite hoc habet Augustinus serm. xxvii. de verbis Domini. (a) Ex Gregorio sumpta partim homil. III. partim homil. xiv. super Ezechielem.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod duplex est ratio boni. Aliquid enim dicitur bonum, quod propter seipsum est desiderandum; & sic vita contemplativa simpliciter melior est quam activa, in quantum magis assimilatur illi vitæ ad quam per activam, & contemplativam nitimur pervenire: unde & contemplativa est finis activæ, & fini ultimo vicinior. Aliquid vero dicitur bonum, quasi propter aliud eligendum; & in hac vita activa præminet contemplativa. Vita enim contemplativa non ordinatur ad aliud aliud in ipso in quo est; quia vita æterna non est nisi quædam consummatio contemplativæ vitæ, quæ per vitam contemplativam in presenti quodammodo prælibatur: unde non restat quod ordinetur ad aliud, nisi secundum quod bonum unius hominis ordinatur ad bonum multorum, ad quod propinquius se habet vita activa quam contemplativa. Unde activa quantum ad hanc partem quæ saluti proximorum studet, est utilior quam contemplativa; sed contemplativa est dignior: quia dignitas significat bonitatem alicujus propter seipsum, utilitas vero propter aliud. Sed vita activa quæ non ad aliud, sed ad seipsum tantum ordinatur, neque dignior, neque utilior est quam contemplativa, immo comparatur ad contemplativam sicut utile ad id ad quod est utile.

Ad primum igitur dicendum, quod vita contemplativa propter activam intermittitur ad tempus, non simpliciter; (2) seu ratione utilitatis, non ratione dignitatis.

Ad secundum dicendum, quod sicut bonum unius consistit in actione, & contemplatione; ita & bonum multitudinis, secundum quod contingit multitudinem contemplationi vacare. Sed ad bonum multitudinis pervenitur per regimen activæ vitæ: unde ex hoc non probatur quod activa sit dignior, sed utilior.

Ad tertium dicendum, quod politica, ut dicit Philosophus in VI. Ethic. prope finem, non præcipit sapientiæ, & aliis quæ ad vitam contemplativam pertinent, sed imperat quædam propter ipsa; sicut etiam imperat quædam propter Deum, cui præcipit sic, vel sic cultum exhiberi.

Ad quartum dicendum, quod intelligendum est ratione utilitatis in alterum provenientis.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod meritum pendet ex radice charitatis: unde contingit quandoque quod in activa quis plus mereatur quam in contemplativa, vel è converso, secundum quod majorem habet charitatem, vel minorem. Nihilominus tamen cum quaeritur de duobus in genere quid sit majoris meriti, intelligendum est quantum pertinet ad rationem ipsorum actuum, non quantum ad ipsos operantes. Est ergo duplex meritum, scilicet dimissionis culpæ, & consecrationis gloriæ: quantum (3) ad primum, majoris meriti dicitur activa quam contemplativa, in quantum laboriosior: unde habet plus de ratione satisfactionis. Quantum autem ad

ad meritum consecutionis gloriæ, sic contemplativa vita est majoris meriti quam activa quantum ad puritatem: quia non admiscetur ei tantum de pulvere terrenorum; sicut fit in activa vita. Sed quantum ad intensiorem meriti videtur contemplativa iterum majoris meriti illa parte activæ quæ circa sui moderatiorem studet; minoris autem quantum ad illam partem quæ profectui aliorum invigilat: quia hoc ipsum videtur esse fortioris charitatis secundum genus, quod homo, prætermissa consolatione qua in Dei contemplatione reficitur; gloriam Dei in aliorum conversione quaerit: quia etiam in humana amicitia verus amicus quaerit magis bonum amici quam de ejus præsentia delectari.

Ad primum ergo dicendum, quod contemplativa dicitur esse à Gregorio major merito, quia minus habet de impuritate demeriti admixtum.

Ad secundum dicendum, quod ex dilectione Dei videtur procedere quod homo prætermissa propria consolatione voluntatem Dei implere studeat in aliorum salute: unde Gregorius super Ezech. hom. xv. *Est amanti anima non parva consolatio, si cum ipsa differtur, per eam multæ colligantur.*

Ad tertium dicendum, quod Philosophus loquitur de contemplativa vita per comparisonem ad activam, quæ in rebus humanis negotiatur, non autem respectu illius quæ proximorum saluti insistit.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod, sicut dictum est de donis, & virtutibus perficientibus in vita activa, quod manent in patria, sed non quantum ad eosdem actus; similiter etiam dicendum est de vita activa; unde vita activa quantum ad illos actus quos modo habet, quibus turbatur de proximorum necessitatibus, & de propriis passionibus, non remanebit: quia tunc panem esurienti non porrigit, ut in Glossa inducta subjungitur. Manebit autem quantum ad alios actus, qui erunt virtutum, & donorum in patria. Vita autem contemplativa nihilominus est diuturnior quam activa: quia manet etiam quoad illos actus quos in via habet: qui quidem in statu viæ sunt imperfecti, sed in patria perficiuntur. Unde Gregorius dicit super Ezech. hom. xiv. de contemplativa vita: *Etiam cum (1) contemdimus, vix aliquid, aut parum attingere valeamus.*

Ad primum tamen dicendum, quod non est simile de Christo, & de aliis: quia ipse erat verus viator, & comprehensor: unde simul erat in actu perfecto quantum ad utramque vitam etiam secundum actus viæ.

Ad secundum dicendum, quod Angeli ex ordine naturæ sunt medii inter Deum & homines, & ideo eis competit ministerium custodiæ, & hujusmodi; non autem animabus Sanctorum.

Ad tertium patet solutio per id quod dictum est in corp.

Ad alia etiam patet solutio ex prædictis.

QUÆSTIO II.

Deinde quaeritur de donis perficientibus in utraque vita.

Primo. De dono sapientiæ.

Secundo. De dono intellectus.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. concedimus. (2) Vers. ultim. secundum Septuaginta, ubi Vulgata: Timor Domini ipsa est sapientia: ut notatum est.

Tertio. De dono scientiæ.

Quarto. De dono consilii.

ARTICULUS I.

Utrum sapientia sit donum.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod sapientia non sit donum. Sapientia enim in littera dicitur cognitio divinarum. Hoc autem videtur esse fidei, cujus obiectum est veritas prima. Cum ergo fides non sit donum, sed virtus, videtur quod nec sapientia.

2. Præterea. In littera dicitur, quod sapientia est cultus Dei; & sumitur de Job xxviii. (2) secundum aliam translationem. Sed latría, quæ cultus dicitur, est virtus, & non donum. Ergo sapientia non est donum.

3. Præterea. Nullum donum habetur per acquisitionem. Sed sapientia habetur per acquisitionem: quia Philosophus Philosophiam primam sapientiam nominat, quæ per doctrinam habetur. Ergo sapientia non est donum.

Sed contra. Isai. xi. computatur inter alia dona.

Præterea. Dona ponuntur virtutibus altiora. Sed inter omnes habitus videtur sapientia nobilissimum, maxime eorum quæ ad cognitionem pertinent, ut Philosophus dicit in X. Ethic. cap. viii. Ergo sapientia maxime debet dici donum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod sapientia non sit tantum de divinis. Quia, sicut dicit Philosophus in I. Metaph. cap. ii. oportet sapientem certissimum esse de omnibus. Ergo non est de divinis tantum.

3. Præterea. Ad sapientem pertinet determinare medium in virtutibus moralibus, ut patet per definitionem Philosophi in II. Ethic. cap. vi. de virtute. Sed divina non sunt operabilia à nobis. Ergo cum medium virtutis moralis sit de operabilibus à nobis, videtur quod non sit sapientia tantum de divinis.

3. Præterea. Sapientia videtur esse circa illa quorum est ars mechanica. I. Corinth. i. 10. *Ut sapiens architectus fundamentum posuit.* Ergo non est tantum de divinis.

Sed contra est quod sapientia est de causis altissimis, secundum Philosophum in principio Metaph. Sed causæ altissimæ sunt divina. Ergo est tantum de divinis.

Præterea. Philosophus in VI. Ethic. cap. vi. vel viii. dicit, quod sapientia est quasi caput scientiarum. Sed omnis cognitionis caput est cognitio quæ est de divinis. Ergo sapientia est circa divina.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod sapientia non sit in intellectu, sed in affectu magis. Quia sapientia secundum nomen suum est, ut dicitur Eccli. vi. Sed dicitur à sapore. Cum ergo sapor ad gustum pertineat, qui ad affectum transfertur, sicut visus ad intellectum; videtur quod sapientia sit in affectu.

2. Præterea. In littera dicitur, quod sapientia est in cognitione, & dilectione ejus quod semper incommutabiliter manet, quod est Deus. Sed dilectione

habetur per doctrinam.

tio ad affectionem pertinet. Ergo sapientia est in affectione.

3. Præterea. Septima beatitudo, qua dicitur: *Beati pacifici*, ad sapientiam reducitur. Sed pax ad affectum pertinet. Ergo & sapientia.

Sed contra est quod in littera diffinitur per cognitionem.

Præterea. Omnis virtus intellectualis est in parte cognitiva. Sed sapientia ponitur à Philosopho virtus intellectualis. Ergo ipsa, quam sapientia donum, quod ei respondet, in parte cognitiva est.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod sapientia secundum nominis sui usum videtur importare eminentem quamdam sufficientiam in cognoscendo, ut etiam in seipso certitudinem habeat de magnis, & mirabilibus, quæ aliis ignota sunt; & possit de omnibus judicare, quia unusquisque bene iudicat quæ cognoscit; possit etiam & alios ordinare per dictam eminentiam. Hæc autem sufficientia in quibusdam quidem est per studium, & doctrinam, adjuncta vivacitati intellectus; & talis sapientia à Philosopho ponitur virtus intellectualis in VI. Ethic. cap. viii. Sed in quibusdam talis sufficientia accidit per quamdam affinitatem ad divina, sicut dicit Dionysius de Hierotheo in 11. cap. de Div. Nom. quod patiendo divina, didicit divina: & de talibus dicit Apostolus I. Corinth. 11. 15. *Spiritualis iudicat omnia*: & I. Joan. 11. 17. *Unctio docebit vos de omnibus*.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut se habet sapientia quæ est virtus intellectualis, ad intellectum principiorum, quia quodammodo comprehendit ipsum, ut dicitur in VI. Ethic. cap. vi. vel vii. secundum quod ex principiis negotiatur circa altissima, & difficillima, & de his etiam quodammodo ordinat, in quantum reducit omnia ad unum principium, & ejus est disputare contra negantes ipsa: ita se habet sapientia quæ est donum, ad fidem, quæ est cognitio simplex articuloꝝ, quæ sunt principia totius christianæ sapientiæ. Procedit enim sapientiæ donum ad quamdam deiformem contemplationem, & quodammodo explicitam articuloꝝ, quæ fides sub quodam modo involuto tenet secundum humanum modum. Et ideo sapientia est donum, fides autem virtus.

Ad secundum dicendum, quod sapientia non dicitur pieras, quæ est latria, per essentiam, sed quasi per causam, quia proxime ad latriam inclinatur.

Ad tertium dicendum, quod equivocatio est in sapientia, ut dictum est.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod, sicut dictum est in corp. præc. art. ad sapientem pertinet iudicare, & ordinare. Iudicium autem de aliquibus fieri non potest, nisi per ea quæ sunt lex, & regula eorum. Semper autem oportet quod superiora sint inferiorum regula; & ideo oportet de infimis per superiora iudicare: unde quamvis intentione quandoque ab infimis incipiat, & ad suprema tendat, tamen iudicium nunquam perficitur nisi per superiora, in quibus inferiora resolvuntur: & ideo oportet sapientem de altissimis cognitorem esse. Altissimum autem dicitur dupliciter. Uno modo simpliciter, quod

(3) Vulgata: *Unctio ejus docet vos &c.* (4) *Al. deest sapiens.* (5) *Forte consequitur, vel subsequitur.*

præeminet omnibus; & hoc modo divina altissima sunt: unde eum qui simpliciter sapiens dicitur, oportet circa divina instructum esse. Alio modo dicitur altissimum in genere aliquo: & qui circa hoc instructus est, non simpliciter, sed in genere illo sapiens dicitur; sicut in artificialibus altissimum est usus illorum propter quod fiunt: unde qui habet artem usualem, quæ architectonica dicitur, in singulis artificiis sapiens illius artificii dicitur: & per modum istum prudens in rebus humanis quibus præcipit, sapiens dicitur. Et quia per delectationes, & alias passiones corrumpitur æstimatio prudentiæ, ut dicitur in VI. Ethic. cap. vi. ideo apud Senecam, & alios morales Philosophos translatum est nomen sapientiæ ad temperantiam, & alias morales virtutes, in quantum passiones refrænant, & sic prudentiam conservant: unde dicunt, quod sapiens non perturbatur, & huiusmodi. Patet ergo quod sapientia quæ simpliciter sapientia dicitur, sive sit virtus intellectualis, sive donum, de divinis est principaliter: & in quantum per ea de omnibus aliis judicare potest, (4) sapiens omnium certissimus esse dicitur.

E per hoc patet solutio ad objecta.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod, sicut dictum est, sapientiæ donum eminentiam cognitionis habet per quamdam unionem ad divina, quibus non unimur nisi per amorem, ut qui adheret Deo, sit unus spiritus cum eo: I. Corinth. vi. Unde & Dominus Joan. xv. secreta Patris se revelasse discipulis dicit, in quantum amici erant. Et ideo sapientiæ donum dilectionem quasi principium præsupponit, & sic in affectione est. Sed quantum ad essentiam in cognitione est: unde ipsius actus videtur esse & hic, & in futuro divina amata contemplari, & per ea de aliis judicare non solum in speculativis, sed etiam in agendis, in quibus ex fine iudicium sumitur: & ideo Gregorius, Lib. II. Moral. cap. xxxvii. sapientiam contra stultitiam ponit, quæ importat errorem circa finem intentum.

Ad primum ergo dicendum, quod saporem sapientiæ importat quantum ad dilectionem præcedentem, non quantum ad cognitionem sequentem, nisi ratione delectationis, quæ ipsam cognitionem in actu (5) exequitur. Vel dicendum, quod dictum Ecclesiastici non intelligitur quantum ad similitudinem nominis cum sapore: quia illa similitudo, etsi sit in lingua latina, non tamen est in aliis linguis: sed loquitur quantum ad significatum, quod omnes concipiunt de nomine sapientiæ, in quacumque lingua dicatur.

Ad secundum patet solutio per id quod dictum est in corp.

Ad tertium dicendum, quod pacificatio illa pertinet ad effectum ordinationis sapientiæ, quia omnis ordinans pacem intendit; non autem quantum ad essentialiam ipsius actus.

ARTICULUS II.

Utrum intellectus sit donum.

2. 2. quæst. viii. art. 1. 3. & 6.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod intellectus non sit donum. Nullum enim donum, secundum quod nunc de dono loquimur, est

nobis à natura. Sed intellectus est nobis naturaliter insitus. Ergo intellectus non est donum.

2. Præterea. Ea quæ sunt unius divisionis, videntur esse unius rationis. Sed intellectus quandoque dividitur contra voluntatem, quandoque autem contra rationem: sed voluntas non est donum, neque ratio. Ergo neque intellectus.

3. Præterea. Gregorius dicit in principio Moral. Lib. I. cap. xv. quod intellectus in die suo pascit, dum de auditis mentem illustrat. Ergo intellectus est de auditu, sicut & fides. Sed fides non est donum, sed virtus. Ergo intellectus non est donum.

Sed contra est quod dicitur Isai. xi. ubi spiritus intellectus computatur inter septem dona Spiritus Sancti.

Præterea. Donorum propria est ratio, ut prius dictum est, ut per ea quis super humanum modum operetur. Sed operatio intellectus præcipue vel supra hominem, ut dicitur in Ethic. X. cap. ix. vel xiii. Ergo intellectus maxime debet dici donum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod donum intellectus non habeat aliquem actum in via. Intellectus enim importat quamdam cognitionem sine obumbratione: unde Isaac (a) dicit, quod ubi obumbratur intellectus, oritur ratio. Sed impossibile est quod in statu viæ cognoscamus sine obumbratione phantasmarum, ut Philosophus ostendit in III. de Anima text. xxxix. Ergo intellectus non habet aliquem actum in via.

2. Præterea. Dionysius dicit i. cap. ccel. Hier. quod impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. Sed ubicumque est cognoscere per aliqua velamina, oportet esse collationem, quæ non ad intellectum, sed ad rationem pertinet. Ergo non est possibile quod in statu viæ sit nobis intellectus actus.

3. Præterea. Actus intellectus est videre Deum: hoc enim ponitur in sexta beatitudine, quæ ad intellectum refertur. Sed Deum nullus potest videre in hæc mortali carne existens. Ergo in statu viæ non habemus usum intellectus.

4. Præterea. Augustinus dicit (b) in quodam sermone de timore, quod intellectus vocatur quo ab omni infirmitate corda mundantur, ut pura intentio dirigatur in finem. Sed impossibile est in statu viæ ab omni infirmitate corda mundari. Ergo impossibile est in statu viæ actum intellectus esse.

Sed contra. Habitus ordinatur ad actum. Si ergo actus intellectus à nobis in via haberi non posset, frustra nobis donum intellectus daretur.

Præterea. Sexta beatitudo ad intellectus donum refertur. Sed in illa ponitur aliquid pertinens ad statum viæ, & aliquid ad statum patriæ. Ergo intellectus habet actum in nobis & quantum ad statum patriæ.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod intellectus à sapientia non differat. Torum enim à parte essentialiter non distinguitur. Sed intellectus videtur esse totum respectu sapientiæ, quæ est tantum de Deo, cum intellectus sit de Deo, & spiritualibus creaturis. Ergo intellectus essentialiter à sapientia non differt.

In III. Sent. Tom. III. dicitur de intellectu. Ex Edit. P. Nicol. (a) Philosophus medicus, de quo etiam I. Part. quæst. xvi. art. 2. (b) Nec in sermone de timore, & humilitate, nec in sermone de timore Domini dominica xi. post Trinitatem, nec in sermonibus novis id habetur. Alius autem non occurrit.

2. Præterea. Sapientia, ut in littera Magister dicit, delectationem circa divina experitur. Sed hoc idem videtur ad intellectum pertinere: in consideratione enim intellectus est maxima delectatio, sicut dicit Philosophus in X. Ethic. cap. viii. vel x. Ergo intellectus à sapientia non differt.

3. Præterea. Ad eundem actum non oportet ordinari diversos habitus, cum habitus distinguantur per actus. Sed tam sapientia quam intellectus ordinantur ad contemplationem. Cum ergo contemplatio sit unus actus, videtur quod sapientia, & intellectus sit unus habitus.

Sed contra est quod dividuntur ex opposito Isai. xi.

Præterea. Dona correspondent virtutibus. Sed alia virtus est intellectus, & alia sapientia, ut patet in VI. Ethic. Ergo & aliud est unum donum ab alio.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod intellectus secundum suum nomen importat cognitionem pertingentem ad intima rei. Unde cum sensus, & imaginatio circa accidentia occupentur, quæ quasi circumstant essentiam rei, intellectus ad essentiam ejus pertingit. Unde secundum Philosophum in III. de Anima text. xxvi. objectum intellectus est. quid. Sed in apprehensione hujus essentia est differentia. Aliquando enim apprehenditur ipsa essentia per seipsam, non quod ad eam ingrediatur intellectus ex ipsis quæ quasi circumvolvuntur ipsi essentia: & hic est modus apprehendendi à substantiis separatis, unde intelligentia dicuntur. Aliquando vero ad intima non pervenitur, nisi per circumposita, quasi per quædam ostia: & hic est modus apprehendendi in hominibus, qui ex effectibus, & proprietatibus procedunt ad cognitionem essentia rei. Et quia in hoc oportet esse quendam discursum, ideo hominis apprehensio ratio dicitur, quamvis ad intellectum terminetur in hoc quod inquisitio ad essentiam rei perducit. Unde si aliqua sunt quæ statim sine discursu rationis apprehendantur, horum non dicitur esse ratio, sed intellectus; sicut principia prima, quæ quisque statim probat audita. Primo ergo modo intellectus potentia est, sed secundo modo accipiendo, habitus principiorum dicitur. Sicut autem mens humana in essentiam rei non ingreditur nisi per accidentia, ita etiam in spiritualia non ingreditur nisi per corporalia, & sensibilibus similitudines; ut Dionysius dicit cap. i. de ccel. Hier. & i. cap. de eccl. Hierarc. Unde fides quæ spiritualia in speculo, & ænigmate quasi involuta tenere facit, humano modo mentem perficit; & ideo virtus est. Sed si supernaturali lumine mens intrantum elevetur ut ad ipsa spiritualia aspicienda introducat, hoc supra humanum modum est: & hoc facit intellectus donum, quod de auditis mentem illustrat, ut ad modum primorum principiorum statim audita probentur: & ideo intellectus donum est.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod intellectus ad spiritualia ingreditur dupliciter. Uno modo per viam remotionis, dum à spiritualibus viam

quæ in corporalibus invenitur, removeret. Alio modo secundum quod ulterius in ipsa spiritualia (1) defigit intuitum. In statu ergo viæ intellectus ingreditur ad spiritualia primo modo, maxime ad divina: quia in hoc perficitur cognitio humana secundum statum viæ, ut intelligamus Deum ab omnibus separatim, super omnia esse, ut dicit Dionysius in Lib. de mystica Theologia cap. iv. & v. Et ad hoc pervenit Moyses, qui dicitur intrasse ad caliginem, in qua Deus erat, Exod. xix. Et propter hoc etiam quantum ad statum viæ munditia ponitur in sexta beatitudine, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus. Sed ad secundum modum peringere non possumus in statu viæ, maxime quantum ad Deum; sed hoc erit in patria. Unde Gregorius super Ezech. (hom. xiv. paulo alia serie) *Quamvis in hac carne mortali vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jam circumscripto luminis radio mentis oculos infigat; sed quidquid de illo modo conspicitur, non est ipse, sed sub ipso est.* Hoc tamen infirmæ mentis desiderio satisfacit: quia secundum quod Philosophus dicit in XI. de animalibus (seu de partibus anim. Lib. I. cap. v.) *Amans (2) in parva comprehensione amati magis delectatur quam in magna aliorum comprehensione.* Et ideo, ut ipse dicit, illud parum quod de substantiis separatim cognoscere possumus, plus desideratur, & delectatur quam quidquid de aliis rebus cognoscimus.

Ad primum ergo dicendum, quod umbra quæ in statu viæ in intellectu nostro est, nos impedit (3) ne in divinam essentiam mentis oculos defigere valeamus.

Ad secundum dicendum, quod Dionysius loquitur quantum ad principium revelationis divinorum, in qua quasi per sermonem quemdam nobis in signis, & figuris proponuntur; sed ulterius de auditis, (4) sicut per donum intellectus, mens illustratur.

Ad tertium dicendum, quod videre Deum defigendo intuitum in essentiam ejus non possumus in statu viæ, sed alio modo, ut dictum est in corp.

Ad quartum dicendum, quod Augustinus nominat infirmitatem humanam corporalia phantasmata, quæ oportet removere per intellectum tendentes in Deum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod intellectus videtur nominare simplicem apprehensionem; sed sapientia nominat quandam plenitudinem certitudinis ad judicandum de apprehensis: & ideo intellectus videtur pertinere ad viam (5) inventionis, sed sapientia ad viam iudicii. Sed quia iudicium non potest esse de apprehensis nisi per superna, quibus sapiens mente unitur, ut quasi in superiori collocatus de omnibus iudicet, quæ quidem unio ad divina per dilectionem est; ideo sapientia circa divina principaliter est, & habet circa ea delectationem ex dilectione causatam; intellectus autem est indifferenter circa omnia apprehensa spiritualia, & delectationem ex amore ad apprehensa causatam, quantum est in se, non importat.

Ad primum ergo dicendum, quod non eodem modo considerat de Deo intellectus, & sapientia: & ideo sapientia non includitur in intellectu, sed alio modo, ut dictum est in corp.

Ad secundum dicendum, quod delectatio quæ est

(1) *Al. superfluit virtutum.* (2) *Al. in prima.* (3) *In editis ut in divinam essentiam mentis oculos defigere nequeamus.* (4) *Al. sic per donum intellectus mens illustratur.* (5) *Al. intensionis.*

in actu intellectus, causatur ex congruentia operationis ad operantem; non autem ex dilectione ad ea circa quæ est operatio, sicut est in sapientia.

Ad tertium dicendum, quod in contemplatione est necessaria apprehensio quæ est per intellectum, & iudicium, quod est per sapientiam: & ideo necessaria sunt dona.

ARTICULUS III.

Utrum donum scientiæ sit tantum de humanis.

2. 2. quæst. ix. art. 2. & 3.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod donum scientiæ non sit tantum de humanis, sed etiam de divinis. Dicit enim Augustinus in littera, quod scientia donum est, quia fides defenditur, & roboratur. Sed fides est de divinis. Ergo scientia est de divinis.

2. Præterea. Scientia donum est altior quam scientia virtus. Sed scientia virtus de divinis est, sicut Metaphysica, vel etiam Theologia. Ergo & scientia donum de divinis est.

3. Præterea. Caput est conforme membris. Sed sapientia quæ est de divinis, in Metaphysicis dicitur caput scientiarum. Ergo scientia de divinis est.

Sed contra. Per scientiam sciens conversari in medio pravæ, & perversæ nationis, ut in littera dicitur. Sed hoc non pertinet ad divina, sed ad humana. Ergo scientia non est divinorum, sed humanorum.

Præterea. Ad idem non sunt necessarij duo habitus. Sed ad divina ordinatur sapientia. Ergo scientia non est divinorum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non sit tantum practica, sed etiam speculativa. Quia quanto aliqua cognitio est altior, tanto ad plura se extendit. Sed scientia donum est altior quam scientia quæ ponitur virtus intellectualis. Ergo cum scientia quæ est virtus intellectualis, se extendat ad operabilia, & speculabilia, videtur quod multo fortius scientia quæ est donum.

2. Præterea. Philosophus in principio Metaph. Lib. I. cap. ii. probat quod scientia speculativa est nobilior quam practica, in quantum per se speculativæ expetuntur, non autem practica. Sed scientia quæ est donum, debet esse altissima scientia. Ergo est magis speculativa quam practica.

3. Præterea. Scientia perficit inferiorem rationem, ut Augustinus dicit III. de Trin. cap. xiv. & xv. inferior autem ratio contra superiorem dividitur. Superior autem est tam speculativa quam practica: quia, secundum Augustinum Lib. XII. de Trin. cap. vii. & xiv. *inhæret æternis conspiciendis*, quod speculativa est; & *consulendis*, quod actionis est. Ergo similiter ratio inferior. Ergo sapientia, & scientia sunt speculativa, & practica.

Sed contra est quod Augustinus dicit ibid. cap. xiv. quod actio qua bene utimur rebus temporalibus, scientiæ deputatur. Sed usus rerum temporalium ad practicam pertinet. Ergo scientia, de qua hic loquimur, est practica.

Præterea. Ab omnibus dicitur, quod scientia donum

(1) *Al. nisi illis.*

num dirigit pietatem. Sed pietas ad activam vitam pertinet. Ergo & scientia: ergo est practica.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod in scientia humanorum non sit aliquid noxiæ curiositatis. Maxime enim cognoscere mala, malum esse videtur. Sed scientia malorum bona est; alias in Deo non esset. Ergo in scientia non potest esse aliquid noxiæ curiositatis.

2. Præterea. Quanto aliquis magis accedit ad suam perfectionem, tanto magis laudabilis est. Sed homo per scientiam cujuslibet rei perficitur, quia trahitur de potentia ad actum, cum intellectus noster sit potentia omnia intelligibilia, ut dicitur in III. de Anima text. xiv. Ergo in scientia non potest accidere peccatum.

3. Præterea. In medio non post accipere superfluum, sicut nullus potest esse nimis castus. Sed scientia in medio consistit, cum sit virtus intellectualis, ut in xxxiii. distinct. quæst. i. art. 3. dictum est. Ergo non potest esse superfluitas in sciendo; & ita non potest esse aliqua noxiæ curiositatis.

Sed contra. Nullus punitur nisi pro peccato. Sed Hieronymus epist. xxii. ad Eustochium cap. xiiii. se punitur adstruit pro eo quod in libris Ciceronis studebat. Ergo potest esse in scientia humanorum peccatum.

Præterea. Expendere tempus in inutilibus, videtur non esse sine peccato. Sed quædam scientiæ videntur esse vel parum, vel nihil utiles ad bene vivendum, cui homo debet totus insistere, sicut scientiæ mathematicæ. Ergo videtur quod in eis studere sit peccatum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod duorum dividendum aliquid commune, illud quod aliquam excellentiam super rationem communis addit, proprium nomen ex illa differentia addita accipit. Quod autem nullam differentiam dignitatis addit, nomen commune retinet; sicut patet in proprio, & diffinitione: quia proprium essentiale dicitur diffinitio, proprium autem non essentiale vocatur nomine communi proprio. Similiter etiam est in proposito. Omnis enim certitudinalis cognitio alicujus, & præcipue si sit complexi, per rationis collationem habita, scientia dicitur. Sed illa quæ est de altissimis, quasi aliarum ordinatrix, & iudex, proprium nomen superaddit, & sapientia dicitur; aliæ vero scientiæ quæ ei subduntur, simpliciter scientiæ nomen retinent. Et hoc modo accipiendo scientiam, est tantum de rebus creatis, sapientia vero de divinis; sive loquamur in virtutibus intellectualibus, sive in donis.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam ex humanis cognitio divinorum & nutritur, & defenditur: quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: Rom. i. 20.

Ad secundum, & tertium patet solutio ex dictis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sicut est in sensibus corporis, quod sensus qui est ad esse, scilicet tactus, est in omnibus membris; qui autem sunt ad bene esse, sunt in corde tantum, per

(1) *Al. nisi illis.*

quod alia membra reguntur; ita etiam est de donis gratuitis quæ in Ecclesia dantur. Quædam enim sunt de necessitate salutis; & hæc oportet quod omnibus membris Christi gratiam gratam facientem, ut virtutes, & dona. Quædam autem sunt, quæ sunt ad bene esse, sicut gratiæ gratis datæ, ut operatio miraculorum, & hujusmodi; & hæc non omnibus Christi membris dantur, sed illis tantum quibus expedit ad ædificationem fidei. Cum ergo scientia sit donum, & sic circa res creatas, oportet quod de ratione scientiæ sit tantum illa cognitio quæ est ad necessitatem salutis. Non est autem de necessitate salutis cognitio rerum quantum ad naturas, & quidditates suas, sed solum cognitio eorum quæ quis debet facere, vel vitare: & ipsa scientia contemplativa non pertinet ad rationem doni scientiæ, sed solum scientia practica, quia homo quandam certitudinem concipit de agendis ex præsentia spiritus: & in hoc differt a prudentia, quæ non certitudinaliter, sed magis æstimative de agendis iudicium habet: unde & hoc donum ad certitudinem iudicii nomen habet; scientia vero quæ ad defensionem fidei ordinatur, pertinet ad gratiam gratis datam, de qua dicitur I. Corinth. xii. 8. *Alii datur sermo scientiæ secundum eundem spiritum*: & non est de necessitate doni, sed de perfectione fidei. Unde dicit Augustinus in littera, quod tali scientia multi qui fidem habent, non pollent.

Ad primum igitur dicendum, quod scientia altior non oportet quod extendat se ad plura (1) nisi in illa ad quæ ordinatur; & ita scientia donum ad plura se extendit quam acquisita scientia de operibus humanis: quia in multis illa deficit in quibus ista dirigit.

Ad secundum dicendum, quod non oportet dona quantum ad omnes condiciones esse perfectiora virtutibus, sed quantum ad modum operandi, qui est supra hominem, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod non est inconveniens unam potentiam diversis habitibus perfici: unde & inferior ratio, quæ & speculativa, & practica potest esse, perficitur dono scientiæ quantum ad operabilia, scientiis vero speculativis in quantum est speculativa. Sapientia autem rationis superiorem quantum ad utrumque perficit: quia superiores rationes quibus contemplandis sapientia inheret, etiam operationum nostrarum regulæ sunt. Unde secundum quod assumit eas ut regulas operabilium, sic in praxim extenditur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod scire, quantum in se est, numquam malum est, & per consequens nec addiscere: quia cuius generatio est mala, ipsum est malum. Sed per accidens contingit esse peccatum in sciendo, vel addiscendo, sive considerando. Hoc autem accidens potest accidere vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis. Ex parte cognoscentis est duplex accidens. Unum est quando propter occupationem in studio alicujus scientiæ impeditur ab executione officii ad quod tenetur; sicut si iudex propter studium geometriæ desisteret a causis expediendis, vel sacerdos a confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur. Aliud est quando propter delectationem in aliqua scientia

(1) *Al. nisi illis.*